

18  
1  
58



~~C. 11. 58.~~ EX BIBLIOTH.  
NATIONIS HUNGAR.  
VITEBERG.  
11-58.  
SIGNAT. clvcccxiii.



CXCIIIX.

Q. D. B. V.

DE

AUGUSTISSO, ELECTORE, SAXONIÆ,

# AUGUSTO

*peroraturus*

augustiohemq; Valedictionis publicæ actum

redditurus

AUGUSTUS à Lüttichau

Eques Misnicus

augustum sibi auditorium exoptat

præsenti Præceptoris schediasmate

JOH. Theill / M. P. L. C. Scholæq; Evangel,

Budissin. Rectoris.

Mense Augusto anni currentis c<sup>o</sup> c<sup>l</sup>c LXV.

---

BUDISSÆ, excudit CHRISTOPH. Baumann.





I.



2.  
 I familiare illud malum, *calamitatem fundi* (nam ita porro sequitur in *Eunuchi Terentiana act. 1. sc. 1. v. 34.* quod coepi *Progr. CXCIV. & CXCVI.*) attentius expendo, nescio sanè an frequentior sit & exitiosior in sensu *figurato*, uti quidem heic sumitur à Comico, an verò in sensu *proprio*. Ut, quod res est, dicam, inclinant ipsi quoq; Scriptores in priorem, quàm in posteriorem, potius sensum, quippe apud quos rarissimè istud vocis in sensu *proprio* legetur. *Calamus* & *καλάμη* nomen habent à *levitate*, nempe ex Ebraico *לחך*, sive terrestris enim sit sive fluvialis arundo, *levis* tamen est *calamus*, uti contrà *grandis* fractorum *calamorum*, quos pressius *culmos* (*calamus, calumus, columus, culmus, καλάμη, σάχος*) appellamus, *jaetura*. Quemadmodum enim *clades* est τῶν κλάδων (ἀπὸ τῶν κλάδων à *frangendo*) quando conquassantur anniculi ramuli; *strages* verò stratarum arborum (quæ & de interfectis usurpatur cadaveribus, hinc *strages in bellis*) perditio: ita *calamitas* est tempestas *calamorum*, quando grandines horridæ fruges corrumpunt, & annonæ incendium attrahunt. Terentianus itaq; servus Thaidem filij herilis amicam appellat *fundi calamitatem*, *des ganzen Gutes Verderb*, additâ statim ratione,

nam quod nos capere oportet, hæc intercipit,

*Sie nimmet und frisset uns alles vor dem Maule hinweg* / in morem locustarum, quas *καλαμαίας* appellant, unde huc refert locum *Theocriti* (*Eidyll. 1. v. 18.*) *Becmannus* in *Origg.* ut sic ratio appellationis non petatur à loco *subjecto*, est enim, juxta *Calliergum*, *καλαμαία ἡ ἀκρίς ἐν τῇ καλάμῃ γνωμένη*, sed à *pernicioso effectu*, quem etiam ediderunt voraces locustæ *Exodica* (*Exod. X, 12.*: unde commodè in vetusto illo conjunguntur versiculo

inde subit *grando*: post *bruchus* dente nefando)

quæ non tam ex eò apud Ebræos appellantur, quòd *quadrupedantes* sint, quàm quia *multa & copiose*, adeò ut, *Plinio* teste (*lib. XI. c. 29.*) ipsum



ipsum solem obumbrent & terras operiant, *Exod. l.c.v.4. Judic. vi. 5. VII, 12. Jerem. XLVI, 23. Nabum III, 15. Confer Joël, II, 25.* Quò etiam pertinet *Locusta* illa venefica *Suetonio Tranquillo, Cornelio Tacito & Juvenali* satyrico memorata. Re enim verà omnes illæ *Tbaides & Laides* sunt cicadae in auribus, muscæ in oculis & locustæ in cordibus & corporibus, & (quod *Plutarchus* πρὸ παιδ. ἀγωγ. de parasitis & adulatoribus) γένεθ' ἡδὲν ἔστιν ἐξωλέεργον, ἡδὲ μᾶλλον καὶ θᾶτον ἐκτραχηλίζον τὴν νεότητά, illæ enim καὶ ἰς πατέρας (teste *Plauto*) καὶ ἰς παῖδας (teste *Terentio*) περιρίξας ἐκτρέβουσι, τῶν μὲν τὸ γῆρας ὀπίλυπον, τῶν δὲ τὴν νεότητά ποιῶσαι, τῶν δὲ συμβουλευμάτων δέλεαρ ἀφύλακτον περιείνυσαι τὴν ἡδονήν. Ceterum quoad locutiones parallelas *Ciceroni* egregiè convenit cum *Comico*, præsertim ubi de *Verre* sermo est. Ita enim lib. I. in *Verr. tanquam aliquam calamitosam tempestatem pestemq; pervasisse*: Et, quacunq; iter fecit, ejusmodi fuit, non ut legatus populi Rom. sed ut quedam calamitas pervadere videretur: Et, veniret *Lampsacum* cum magnâ calamitate & propè perniciæ civitatis. Ita quoq; *Justinus* lib. VI. c. 2 §. 16. quasi tempestas quedam cuncta prosternit.

Et *Flaccus* (lib. I epist. 15. v. 31.)

Pernicies & tempestas barathrumq; macelli.

*Intercipere* autem est, cum, quod alteri destinatum est, antequam II. ad eum perveniat, ab altero arripitur & abripitur. Sic juxta *Paulum* l. i. ff. de *Furt.* furti tenetur, qui depositum intercipiendi causâ occultavit: & juxta *Pomponium* l. 43 ff. de *liber. caus.* intercipere bona eorum, quibus servierunt; intercipere hereditariam pecuniam. Inde apud *Suetonium Domitian. c. 17.* *Stephanus* interceptarum pecuniarum reus: & *Valer. Max. lib. 1 x. cap. 11. §. 4.* divini beneficij interceptor dicitur, qui *M. Marcellum* pugione confoderat, ne fruere-  
tur restitutione à *Cæsare* impetratâ. Eodem sensu ab eodem *Paullo* usurpatur verbum *invertere* l. 20 ff. de *furt.* Et *præcipere* apud *Virgil. Eclog. 3. v. 98.* si lac præceperit æstus: & lib. X. *Aeneid. v. 277.* de *Turno*,  
littora præcipere & venientes pellere terrâ:

A 2

quam-



quamquam alij malint *præcipere*, ad indicandam miram Turni celeritatem. Ita in *Lucret. lib. VI. v. 1048.* præcepit, i. e. *præoccupavit.* Ita *Livius sapius*, cujus locos notavit *Paræus in Lexico Plautino.* Ita *Lucanus lib VI. v. 15.*

Hoc iter æquoreo *præcepit* limite Magnus qui Virgiliano illi præcedenti planè est parallelus. Ita *Ovidius lib. III. Trist. eleg. 3.* Vel *præcepisset* mors properata fugam. Ita *Quintilian. Declamat. XII. Maturitatem præcepit æstus.* Ita *Curtius lib. IV. c. 4. §. 5.* victoriæ non omen modò, sed etiam gratulationem *præceperant.* *Lib. IX. c. 6. §. 26.* si me *præceperit* fatum, woferne ich eher stürbe/dañ Sie/nempe Alexandri mater Olympias. Qui duo loci sunt extra dubium, namq; in reliquis, quod in Indice Curtiano monuit *Freinsheimius*, etiam *præcipere* legi potest, præsertim ubi *rapida celeritas* indicatur, quod suprâ ad *Virgilium* malebat *Ludovicus de la Cerda.* Ita ipse *Freinsheimius Suppl. Curt. l. 2, c. 11.* Sed hæc quidem post *Tyrum Gazamq;* expugnatas gesta sunt: nos per occasionem *præcepimus.* Indicat prolepsin historicam. Nam hoc est *Græcorum* *μεγλαυβάων*, unde *Böclerus* in Indice *Nepotis Cornelij præcepta beneficia (Attic. XI, 5.)* exposuit *μεγληφέντα*, antè *accepta*, quæ est verbi hujus cum suâ præpositione compositi significatio planè genuina & nativa, sic enim *sapius* verba composita propriè usurpantur, quorum acceptio traducta aliàs famosior est & usitator. Quæ jam olim plurima collegi & observavi in *Lexico* meo *Horatianò ἀνεκδότω* ad vocem *Despice* in *lib. III. Carm. 7. v. 30:* eorum heic *μεγύεσσι* præbebo ad salivam movendam. (1) *Adscribere*, darzu setzen; darzu schreiben. Ita *Cicero lib. IX. epist. 17.* Illud tamen *adscribam*, h. e. *adjiciam.* (2) *Ambitiosus* communiter est *Chrigeisig.* At propriè *Ovidius XIII. Metam. de Achillis matre*

Scilicet iccirco pro nato cœrula mater  
ambitiosa fuit i. e. laboravit, occupata fuit.

Et *lib. III. de Ponto eleg. 1.* Pro nostris ut sis ambitiosa malis.

ubi



ubi putidior est lectio officiosa. <sup>5.</sup> Hieronymus ad Marcellam epist. 130. Quo tota sacerdotalis protegatur ambitio: loquitur enim de Ephod, quod erat amiculum humerale, Epomis (Ἐπι τῶν ὤμων), ἐπενδύτης, ποδήρης, ἑσθή. Magis pressè Nepos in Dione c. 2. §. 2. de Dionysio Platonem Tarento Syracusas accersente, Magnâ eum ambitione Syracusas perduxit: ubi ambitio est vel vebemens studium & contentio faciendi, vel circuitus longinquus, quia Tarentum situm est in Italiâ, Syracusæ in Siciliâ. Cicero lib. II in Verr. Alicujus amici rogatu, benignitate, aut ambitione (durch lauffen und rennen / uti fecit vidua illa Luc. XIX.) inductus. Valer. Max. lib. IIX. c. ult. §. 4. de Scipione Æmyliano, Neq; civi neq; senatori ambitioso. Horatius in de Arte v. 447. ambitiosa ornamenta: & lib. I. Carm. 36. lascivis hederis ambitiosior, nos dicimus, Einem umb das Maul herumb gehen. Videatur Torrentius in Horatium. Ita Plinius (lib. V. c. 15) Jordanem appellat amnem ambitiosum, qui multa arva ambiat & circumdet, uti Ovidius I. Metam.

— — ambitæ circumdare littora terræ.

Ambitiosus ergò est officiosus & negotiosus. (3) Conducere, i. e. cogere, in unum locum conducere, zusammen führen. Ita Crispus Sallustius Jugurth c. 51. (al. 58.) de Metello, Paullatim milites in unum conducit, ordines restituit. Vides ἐπεξήγησιν. (4) Contiguus communiter & fermè semper ponitur pro propinquo. Sed Arnobius propriam ponit notionem lib. II. de animabus loquens, Neq; ullâ corporis attractione contiguas: sunt enim, quod paullò antè dixerat, corporali soliditate privatæ. (5) Convicia communiter in malam partem, unde ait Labeol. 15. §. 3. ff. de Injur. convicium esse injuriam: quod tamen, ut ibidem statim adjicitur, dicitur vel à concitatione vel à conventu, hoc est, à collatione vocum: cum enim in unum compleret voces conferuntur (ut in ore sit omni populo, quod est apud Nostrum Adelpb. 1, 2, 13.) convicium appellatur quasi convocium. Ita capiendus Naso lib XI. Metam. in descriptione regis Somni humanæ vè sonum reddunt convicia linguæ.

A 3

Et



Et Phædrus fab. VII. de clamore ranarum

Clamorem ranæ sustulere ad sidera,

Convicio permotus quærit Juppiter.

Sic in illo vulgato, *Septem convivium, novem conviciam*, quod retulit *Capitolinus in L. Vero, & Ausonius in Ephemeride* (unde *Martialis* quoque *lib. X. epigr. 40.* Septem sigma capit), quod scilicet, juxta *Alexand. Neapolitan lib. V. c. 21.* obstrepente multitudine tumultuantur potius, quàm in sobrio convictu sint: sic & *Agellius l. XIII, c. 11.* Vide jam *Lexicon Plautin. Parei.* Posuit verò in sensu vulgatori *B. Ambrosius lib. VII, in Lucam c. 65.* Tu *conviciam* times, adornat, ille *convivium*: præcedit enim, Tu adhuc injuriam metuis, ille restituit dignitatem; Tu supplicium vereris, ille osculum defert. (6) Deprimere, juxta prædicamentum *Situs*, nempe ad locum inferiorem. Cicero Catone, *Animus ex altissimo domiciliò depressus in terram.* (7) Despicere. Ita *Horatius l. cit.* Despice in vias, ubi de pro deorsum. Sic *Lucretius lib. II, v. 9.*

despicere unde queas alios — — —

Sic *lib. IV, v. 419.* Nubila despicere. *v. 417.* despectum præbet sub terras *v. 422.* in rapidas amnis despeximus undas. Primum *Lucretij* locum expressit *Virgilius in Ceiri, v. 14, 16, 17.*

— Summâ sapientia pangeret arce,  
unde hominum errores longè lateq; per orbem  
despicere — — —

Sic *Naso lib. XV. Metam. v. 150, 151.*

palantesq; homines passim ac rationis egentes  
despectare procul — — —

*Stadius lib. II, Silvar. Surrentin. Pollij v. 131.*

— — — celsâ tu mentis ab arce  
despicias errantes humanaq; gaudia rides,

*Claudianus Panegyri. Mallij v. 6.*

— ex altâ mortalia despicit arce.

Nempe ad sensum sacrum *Psalm. XIV, 2:* ubi *Adam Sibertus*

Omnia,



7.  
Omnia quo lustrat, despexit lumine terras,  
mortalesq; alto vidit ab axe Deus.

Ita enim *Buchananus Psalm. LIII, v. 3.*

Ex arce celsa siderum deflexerat  
Dominus in orbem lumina.

Et *M. Antonius Flaminius*, in utroque

Hos ergo collustravit e coelo sua  
acie Pater caelestium.

Porro *Maro I. Aeneid. v. 228.* Despiciens mare: & *lib. x. v. 409.* flamas  
despectat ovantes. *Ovidius Metam. III, de serpente*

— media plus parte leves erectus in auras  
despicit omne nemus.

*lib. IV. de Perseo,* Despectat terras. *lib. XI. de puppe Ceycis,* despiciere  
in valles. *Lucan. lib. I. v. 458.* populi quos despicit Arctos: *lib. V. v. 251.*

Quam non e stabili, tremulo sed culmine cuncta

despiceret — — — — *Plautus etiam,*

Forte fortunam per impluvium huc despexi proximum,

*Milite act. II. sc. 3. v. 16.* quod repetitur *sc. 6. v. 72.* Ultramque verò signifi-  
cationem quasi simul & semel inclusit *Tullius, lib. III. Tuscul. 29.* Hu-  
manas res despiciere atque infra se positas arbitrari. Qui ipse *lib. IV. de*  
*Finibus* usurpat de catulis, qui visu uti incipiunt, *Catuli qui iam despe-*  
*cturi sunt,* Et, *Catuli aequè ceci priusquam despexerunt.* Quò referri pos-  
set locus *Suetonij Nerone cap. 19.* quod quidem fecit *Pareus*, Deinde  
tanta oborta caligo est, ut despiciere non posset, nisi alij *Codd.* lege-  
rent *dispicere.* (8) *Exigere* h. e. expellere. *Ovidius V. Trist. eleg. 6.*

Sensus inest igitur nebulis, quas *exigit* ignis.

*Exigere uxorem*, apud *Sueton. Julio c. 50. & Claudio c. 26.* h. e. repudiare  
& dicere, *Exi foras scelestæ, & res tuas tibi habeto*, quæ fuit vetus for-  
mula, juxta *Brissonium lib. IIX. de Formul. p. 722. 723.* Et apud *Plautum*  
non semel, *Exigere*, i. e. *abigere, ejicere, excludere.* Hinc *Valer. Max.*  
*lib. IV. c. 1. §. ead.* *Exactis regibus*, i. e. *expulsis*, quod *Regifugium* ap-  
pel-



pellatur. Ita apud *Curtium lib. IX. c. 14. §. 31.* Elephantum ultra aciem exigebantur. Ad hanc faciem etiam formatur *exiguum* (sunt verba *Becmanni Origg. in Ago*) id est, quod facile expelli aut extra agi potest. Usitatè est *parvum, leve, tenue*: talia enim *exiguntur*. Hoc metuens Zacchæus ἦ ἡλικία μικρὸς ascendit in arborem sycomorum, *Luc. XIX. v. 3, 4*: Miror ergò, quur *Martinius* in Etymologico scripserit de *Exiguo, planum est quòd sit ab exigo, etsi deductionis ratio obscura sit*. Parva certè & exilia facilè eliduntur, & vel invalidæ vires ea ἐξελεῖν καὶ ἐξελεῖν valent. (9) *Iniquum* (quod prætermisit *Martinius*, quum tamen recenseat longè leviora) *non æquum, ἀνωμαλές, uneben / ungleich* / unde apud *Ovid. Metam. X.* Jura montis iniqui. Planè inducor ut credam ita usurpasse *Propertium lib. I. eleg. 17.* de tempestate maris, Sat tibi, sat pœnæ mox & *iniqua vada*.

Et *lib. II. eleg. 3.* Ac veluti primò taurus detrectat aratra,  
pòst venit assueto mollis ad arva jugo:  
Sic primo juvenes trepidant in amore feroces,  
dehinc domiti posthæc æqua & *iniqua* ferunt.

*h. e. currunt cum mercatore Horatiano per saxa, per ignes, pensa trahunt cum Sardanapallo & Hercule, & sandalio caput sibi committigari patiuntur, interq; eas restim ductitantes saltant, quæ sunt saltationes inhonestæ & infames, quoq; mare, ne dicam honesto, indignissima: quod tamen obsequium nec Simson negasset, quamvis robustissimus, nec Salomon, quamvis sapientissimus. Eadem notione lib. III. eleg. 14.*

Ah quoties famulam pensis oneravit *iniquis*.

Et *IV, 7*: Et graviora rependit *iniquis* pensa quasillis.

(10) *Intermittere, hinein lassen, vulgò unterlassen / omitttere.* Iterum *Arnobius lib. V.* Quid sibi vult illa pinus, quam semper statis diebus in Deum matris *intermittitis* sanctuario: Paullò enim inferiùs ita eloquitur, *Pinus illa, solenniter quæ in matris infertur sanctum Deæ.* Gr. εἰσβάλλω, quatenus opponitur τὸ ἐκβάλλω. (11) *Porrigerere, erlängern / dehnen* ) ut apud *Nasonem IV. Metam* de Sole *Leucothoën amante*  
Spectandiq; morâ brumales *porrigis* horas, &



& lib. eod. parvos membrana per artus porrigitur.

& lib. I. — — — — nec brachia longo

marginē terrarum porrexerat Amphitrite.

Quò faciunt illa ab *Henr. Stephano* allegata. Ex *Sophocle*, ἐκτέταται χρο-  
 νος πολὺς, multum temporis elapsum est, diu est. *Εκταθεὶς εἰς πλείους*  
 ἡμέρας, ex *Galeno*. Ex *Xenophonte* lib. I. παιδ. κύριον, ὅτι πάντα τὰ λευκά-  
 νια ταῦτα ἀπὸ εἶναι τὰς χεῖρας. (12) *Præducere*, quod ex *Tacito* lib. XIV,  
*Annal. c. 32.* adducit *Basilii Faber* in *Lexico*, *Præducere* vallum, fossam,  
 einen Graben für etwas führen / aufwerffen. *Præductam* obsessis paren-  
 tibus fossam dixit *Seneca* lib. II. de *Irâ c. 8.* *Plinij* enim locus, quem iti-  
 dem adducit *Calepinus*, ambiguae lectionis est, ut & ille *Lucani* lib. IV.  
 v. 45. munitumq; latus laevo *præducere* gyro,  
 namq; alij malunt *producere*. Atq; eadem est ratio (13) verbi *Prædi-*  
*cere*. Unde cum *Æl. Lampridius* scribit in *Commodo*, Si quis fanè se  
 mori velle *prædixisset*, hunc invitum præcipitari jubebat, addit *Sal-*  
*masius*, *prædicere* heic non est vaticinantium verbum, qui futura  
 prædicunt, sed hominum, qui, quod facturi sunt, aut facere in ani-  
 mo habent, id *prædicunt* (sagen es zuvorher). Atq; sic expressè *Teren-*  
*tius Andr. act. I. sc. 1. v. 19.* Hoc primum in hac re *prædico* tibi, & sc. 2. v.  
 ult. Neq; tu hoc dicas tibi non *prædictum*. Sic *Ulpianus* (uti allegat  
*Salmasius*) Si *prædixerit*, ut unusquisq; vectorum res suas servet, neq;  
 damnum se præstaturum, & consenserint *prædictioni*. *Appuleij. l. 3. de*  
*Habitud. Doctr. Platon. in fine*, Non plures, quàm *prædictum est*, modos  
 fieri. (14) *Præferre*, ut *Maro*, Munera *præferimus* (*Æneid. XI, v. 249.*)  
 nempe ut ante orationem auxilium promptius impetrarent. (15) *Præ-*  
*stare*, ut *Lucan. l. IV, v. 30.* Dum primæ *præstant* acies. h. e. *antè stant*, ne  
 ab Afranianis Cæsarianorum studium & labores observarentur, *sie*  
*stunden vor*. Eadem est notio harum vocum, *præses, præ, præssum, præ-*  
*fertim* (ab *antè satis*) *præstes, præstita, præstò, præstolor, antistes, ἀντιστῆς*  
*præsul, Vorsteher / Vorweser / President* &c. Inde putem rectius scribi  
 in Biblijs Germanicis *Ezech. XIII, 5.* Sie treten nicht vor die Lücken/  
 quàm



quàm fuit: licet hæ duæ voculæ plerunq; confundantur. (16) *Præsumere*, i. e. antè. *Tacitus* iterum, Nî supplicium in malos *præsumant*, *lib. I. Annal. c. 48.* Unde etiam est *præsumtuosus*, *Vormessener* / qui *sumit*, *antequam detur*, & *facit*, *antequam jubeatur*, *der gar zu vornehmisch ist* / ut vulgo loquimur. (17) *Seducere*, seorsum ducere, *besseite führen* / ut *Cicero lib. XV. Attic. epist. I. Seduxi* enim, & ad pacem sum cohortatus. *Seneca Consol. ad Helviam, c. 16.* Ex quo te virtutes tuæ *seduxerunt*. *Valer. lib. V. c. 9. §. 4. seductam* uxorem suppliciter rogavit. Et *lib. VII. c. 4. §. 2. seducto* eo in hortum, quod alibi (*lib. II. c. 2. §. 3.*) *subductum* dixit. *Ovidius* crebrò: *lib. II. Metam. de Batto & Mercurio*, Hunc timuit, blandâq; manu *seduxit* - - *lib. IV. de Perseo*, - - *seductas* æthere longo despectat terras, *l. XIII. de Memnonidibus*, Quarto *seducunt* castra volatu: & *sub fin. de Scyllâ, seductos* nacta recessus. *Persius sat. II. v. 4. seducti* Divi. *Sat. VI. v. 42.* paullùm à turbâ *seductior*. *Seneca* iterum, *lib. I. de Clement. c. 4.* Ita se induit Reipubl. Cæsar, ut *seduci* alterum non possit sine utriusq; pernicie. Eadem notata sunt de *Rebellare*, *Referre*, *Remittere*, *Repetere*, *Reprebendere*, *Restare*, *Retractare*: de quibus in genere observandum illud *Tertulliani lib. V. adv. Marcion. c. 9. Resurrectionis* vocabulum non aliam rem vindicat, quàm quæ cecidit. *Surgere* enim potest dici & quod omninò non cecidit, quod semper retrò jacuit. *Resurgere* autem non est nisi ejus, quod cecidit: *iterum* enim *surgendo*, quia cecidit, *resurgere* dicitur. *Re* enim syllaba iterationi semper adhibetur. (18) *Rebellare* ergo propriè est *iterum bellare*, ut claret ex illo *Nasonis lib. XIII. Metam. de Memnonidibus avibus*, Cùm Sol duodena peregit

Signa parentali morituræ morte *rebellant*.

Hinc crebræ *rebellations* apud *Valer. M. lib. VII. c. 4. §. I.* (19) *Referre* est *wiederbringen* / *Nepos Agesilao c. 8. §. 4.* Cetera *referri* iussit, *Sie solten es wieder zurück nehmen. Valerius lib. II. c. 7. fin.* de matribus *Lacænis*, quæ exituros filios ad proeliandum monebant, ut aut vivi cum armis in conspectum earum venirent, aut mortui in armis *referrentur*



*sur, ἢ τὰν ἢ ὄτι τὰς.* Q. Curtius lib. VII. c. 6. §. 4. de Alexandro sagittā  
 icō, *Illum mæsti & attoniti Macedones in castra referebant.* Ovidius  
 III. Trist. eleg. 3. parvā referantur in urnā, Muretus lib. I. epist. 83. Auffe-  
 rebat ac deinde referebat, brachte es wieder. Terentius Hecyr. Prolog.  
 Iterum referre, i. e. denuo agere Comœdiam. (20) Remittere, zu-  
 rücksenden oder schicken. Sallustius Jugurth. c. 65. Tela eminus missa  
 remittere. Et quod ex Plauto attulere Calepinus atq; Faber, *Munera*  
*accipit frequens, remittit numquam.* (21) Restare pro resistere, apud  
 Ovid. Met. III v. 606.

Is mihi, dum resto, juvenili guttura pugno Rupit —  
 præcedit enim, *Inq; aditu obsisto.* Et lib. XIII. de Glauco, *Nec potui*  
*restare diu.* Terentius Eunuchō IV. 1, 1. *Exi foras sceleste: etiam resti-*  
*zas?* (22) Repetere, wieder haben wollen. Terentius Andr. I. 5, 14. *Repu-*  
*diatus repator.* (23) Reprehendere, wieder ergreifen, wieder herfür zie-  
 hen. Videatur Janus Gulielmius lib. III. *Verisimil. c. 9.* quem allegat  
 Weitzius ad illud *Adelph. IV, 4, 13:* sed me reprehendi tamen. Lipsius o-  
 mnium manifestissimè usurpat, *Annæus noster jamdiu jacuit, re-*  
*prehendam, & illi quoq; faciam lucem.* Centur. II ad Belgas epist. 80.  
 Eodem ferme sensu Terentius quoq; capit *τὸ retrahere* *Heautont. IV,*  
*2, 11:*

*Retraham hercle, opinor, ad me idem illud fugitivum argentum*  
*tamen.* (24) *Retractare est rursus tractare.* Ita expressè *Sext. Pompe-*  
*jus Festus,* quem Scaliger (c. 63. de caus. L. L.) appellat *autorem gravem*  
*veterumq; sententiarum accuratum & narratorem & interpretem.*  
 Inde nati sunt *Augustino* Episcopo lib. *Retractionum,* in quibus Pa-  
 ter augustissimus & opera sua ipse recensuit, & sub incudem revo-  
 cavit, & quæ mutanda, emendanda vel delenda essent, liberè & pu-  
 blicè monuit ac explanavit.

Horum verò heic allatorum causam præbuit & occasionem  
 AUGUSTUS à Lüttichau in Smelen Eques Misnicus, Generosi  
 & Præstrenui Dn, HENRICI FRIDERICI à Lüttichau *ῥῶν ἐν ἀγλοῖς*  
 fili.




filius sextus, quem mater Vidua Generosa ANNA MAGDALENA MEZRADIA, quum jam anni c<sup>o</sup> c<sup>o</sup> l<sup>o</sup> l<sup>o</sup> d. Aprilis 24. tam dilecto atq; amantissimo sui marito fuisset orbata, post longas fidelissimorum præceptorum domesticorum informationes, nostræ quoque disciplinæ, meæq; simul institutioni privatæ d. xxii. Octobr. anni c<sup>o</sup> c<sup>o</sup> l<sup>o</sup> l<sup>o</sup> submisit, ex quo tempore, potissimum in convictu CLariss. & Consultiss. Viri MARTINI STUBRITII P. L. C. Causarum apud nos Advocari jurati &c. acto studia sua sollicitè & diligenter habuit, ut etiam hoc ipso anno in *die memorabili Magorum Orientalium* eruditum in splendido confesso sermonem recitaverit: jam verò quum discessus ipsi pararetur, *Et pietate in patres patria, Et observantiâ erga Potentiss. domum Elector. Saxonie.* nec minus nomine, quod in sacro inditum ipsi fuit Baptismo excitatus, *augustissimi Electoris Saxonie*, cujus res gestæ in alterum jam currunt sæculum, AUGUSTI laudes sibi recitandas sumsit, quod ejus subjectissimum studium nec magni improbabunt, nec medioxumi ( *ε γὰρ τῶν ὑπεργυνήτων Φεγγίς* ), sed pleno potiùs ore collaudabunt ac utroq; pollice comprobabunt. Vereor ne peccem, si operosiùs Auditores nostros invitavero, quum *augustissimus* Elector AUGUSTUS jam dudum *augustum* auditorium meruerit, nec Potentissima domus Electoralis Saxonica quicquam postulare honoris aut præconij possit, quod non sponte præstandum nos omnes atq; singuli fassuri simus.


Ego verò AUGUSTO hætenus nostrò voveo & comprecor ex animo, ut evadat tandem, quod de HUGONE aliàs GROTIIO dici solitum fuit, *Vir sui nominis*, suosq; proavos, patruos, & fratres imitetur, æquet, superet, quod omninò futurum est, si proculcatis quibuslibet fœdis vitijs nihil & pietate & virtute statuerit *augustius*. Fiat!













Ung. VI 58 (11)

ULB Halle

3

002 686 287



5b,

VD 17  
Sep. 2000 Pd.











CXCIIIX. 71  
Q. D. B. V.  
DE  
AUGUSTISSO, ELECTORE, SAXONIÆ,  
**AUGUSTO**  
*peroraturus*  
augustioyemq; Valedictionis publicæ actum  
redditurus  
AUGUSTUS à Lüttichau  
Eques Misnicus  
augustum sibi auditorium exoptat  
præsenti Præceptoris schediasmate,  
JOH. Theill / M. P. L. C. Scholæq; Evangel,  
Budissin. Rectoris,  
Mense Augusto anni currentis clo clc LXV.  
BUDISSÆ, excudit CHRISTOPH. Baumann.

